STATUS PRA
CONTROVERSIÆ VE
DE
CREAT
GEMEBU
Rom. IIX. 19. se

QUEM

DEO JUVANTE

PRÆSI

CHRISTIANO EB
WEISMAN

THEOL. DOCT. ET P. P. ORDIN. ECCLES. T
ILLUSTRIS STIP. THEOL. SUPERAT

Ad diem *mensis Augusti A. D. MDCC*

ad publicum Examen pr

RESPONDENT

M. JOHANNES LUDOVICUS HARTMA
M. JOHANNES EBERHARDUS SAUTTE
S. S. Theol. Stud. in Illustr.

TUBINGÆ
IMPRIMEBAT GEORGIUS FRID

22
Dup
18

RÆSENS
E VEXATISSIMÆ

TURA
BUNDA

19. seqq.

EM

VANTE

SIDE

EBERHARDO
ANNO,

CLES. TUBING. DECANO, ATQUE
SUPERATTENDENTE
D. MDCCXLV. h. lque consuetis

xamen proponent

DENTES

ARTMANN, Neomontanus.
AUTTER, Tubingensis.
n Illustr. Stipendio.

23.

N G Æ,
IS FRIDERICUS MEZ.



§. 1.

POterant nos, quod lubens & ante omnia fateor, multa prorsus a tractando hoc argumento non abstinere tantum, sed etiam absterrere, si statum præsentem hujus controversiæ vexatissimæ de *creatura gemebunda*, uti illum in novissimis quoque Theologorum scriptis deprehendimus, una cum genio seculi nostri, penitius inspiciamus. Illa *Apostoli Pauli* sententia, quam ex illius *ad Romanos Epistola C. VIII. v. 19. & seqq.* seligimus, jam pridem ad pulvisculum usque excussa est plus quam diligenter & attente, eaque insuper cum frequentia, ut prope tædium lectoribus hucusque excitaverit tot sententiarum de re una eademque multiplicatio & repetitio. Nullus proinde heic locus est inventionibus novis, ut quemquam charum suum ευρηκα, ευρηκα, tandem delectare possit & excitare, quantumvis alias soleat dici, nec semper in vanum, inventis facile esse aliquid addere. Una igitur & nobis amplectenda erit sententia ex illis, quæ hucusque in medium allatæ sunt, ac venerunt in controversiam, quod si quis fecerit, non certe placebit omnibus vulgaris labor, & pridem actus. Accedit, miscuisse se semper huic quæstioni exegetico - dogmaticæ Viros Doctissimos, quos frustra heic laborasse in eruenda veritate nemo temere dixerit: neque illi hoc judicium de isto operæ suæ pretio solent expectare. Nec illud porro negari potest, esse plerasque *exegeses Apostolici* hujus *loci*, insigniores maxime, ita comparatas, ut nihil habeant incommodi in summa rei, imo, si spectentur in seipsis, & extra contextum, plurimum habeant veritatis, atque adeo absque periculo

 ullius

ullius doctrinæ ſanæ & ſalutaris, pro cujuſcunque judicio, teneri poſſint omnes: Qua de cauſa eo inutilior videri poſſit nova & continuata de his rebus diſputatio, & perpetua momentorum heic occurrentium vellicatio. Neque ſuſpicax nimis erit, qui vereatur aliquantum hoc loco, ne, ſi quis unam & alteram expoſitionem, quæ jam prope pro excluſis habentur ex eligibilium numero (ad analogiam fatorum, quæ non raro in Conclavi contingunt Romæ Cardinalibus magis vel minus Papabilibus) reſumere vellet, id inſtitutum parum gratiæ & favoris inveniat apud eos, qui ſuam excluſionem volunt in pretio haberi. Præterea, ſi malum aliquod eſt in ipſa tot opinionum exegeticarum multitudine, quæ & hoc loco utique deprehenditur, non certe videtur æquum, aut bene factum, ſi quis novis exemplis augere id malum velit ſine magna doctrinæ Chriſtianæ utilitate & incremento, quod inde poſſet expectari. Cum itidem certæ quædam ſententiæ ferantur adhuc facilius in ea ætate, de qua creditur, quod nondum plenam lucis & veritatis habuerit, impatientius vero excipiantur, cum ſupponitur, omnia jam luculentius eſſe expoſita, & in re ſatis ſuperque ventilata majorem adeſſe obligationem cedendi ſapientioribus, facile quoque in præſente cauſa evenire poteſt, ut jus civitatis libertatisque privilegium ob eaſdem rationes jure ademtum cenſeatur illis opinionibus exegeticis, quibus olim magna fuit autoritas, quæ vero hodie magna cum προφασει repudiari & diſplicere incipiunt.

§. 2.

His tamen non obſtantibus omnino perſuaſum habemus, licere nobis in alteram propendere partem, quæ ſuis rationibus nequaquam deſtituitur. Libertatem ſuam eruditi non minus ægre ſibi patiuntur eripi in rebus ad forum ſuum pertinentibus, quam cives alii in ſua Republica. Non eſt indignum poſteris, diſpicere & examinare, ad quem gradum lucis & ſoliditatis doctrinæ doctrinarumque ſubſidia per Majores ſuos evecta ſint, nec ne? & quid amplius monendum ſupplendumque ſibi ſuperſit? Quodſi de exegeſi *dictorum*

Scri-

Scriptura S. agitur, quæ in doctrina publica privataque sæpius occurrunt docentibus, eo magis certe necesse est diligenter attendere, ac denuo, ac iteratis vicibus, attendere, ut verum eorum sensum semper assequamur felicius, & cum fructu solido ad aliorum institutionem pro modulo nostræ cognitionis & convictionis proponamus. Plurimum quoque interest nonnunquam, earum patrocinium suscipere sententiarum, quibus magno cum molimine sæpe inferuntur injuriæ ad periculum usque exilii & ostracismi, nisi novis conatibus inde eripiantur. Sint non raro res hujusmodi obsoletæ & tritæ, hincque sæpius actæ, & quasi eo nomine contemtæ, semper tamen novi accedunt schematismi, mutationesque accidentales, de quibus, quousque valeant? pariter judicare solent eruditi in his casibus, ut apud Theologos quoque locum habeat, quod apud JCtos alias in usu est, dicterium, a minima sc. circumstantia rem variari. Quodsi omnia curate & diligenter investigando attendamus, esse aliquid in hoc *loco Apostolico*, in quo singulare momentum collocet *Apostolus*, ut ex gravi illius atque emphatica docendi forma colligere in promtu est, nemini sane vitio verti potest, si, quid hoc rei sit, semper certius pleniusque cognoscere & explorare cupiat, maxime dum videt, suspectum esse, quod in re tanti momenti in iisdem lineis & carceribus adhuc decurrant interpretes. Præter hæc universa & communia singularis nobis ratio occurrit cogitandi de vero sensu *textus* hujus *Apostolici*: quamvis enim & olim in nostris in *Ep. Pauli ad Romanos Scholis privatis*, ac deinceps in *Institutionibus* nostris *Theologiæ Exegetico - dogmaticæ p. 1109. seq.* nostram mentem pro instituti ratione dederimus expositam, multa tamen adhuc superesse fatemur, quæ jam dictis illustrationis confirmationisque gratia nunc possint adjici: quem ipsum etiam laborem eo suscipimus lubentius, quoniam non ita pridem singularis accessit *Qq. amicorum* invitatio, quibus placuit in argumentum *Dissertationis Academicæ* hanc deligere materiam, utque nostram de hoc *loco Paulino* sententiam ibidem paulo plenius edicamus, amice & humaniter rogare. Faciemus igitur, juvante Deo, & ex cupiditate satisfaciendi honestis desideriis, quod possumus, & curabimus, ut mo-

 deste,

deſte, prudenter, &, nemine invito, retractemus hanc cauſam meditatione Theologorum digniſſimam.

§. 3.

Eſt autem inprimis memorabile in *ſtatu moderno* hujus *controverſiæ exegetico - dogmaticæ*, quod tot *Viri doctiſſimi*, & quidem ex illorum quoque numero, qui alias tandem expoſitiones præferunt, ſaltem plurima libertate utuntur in ſuo judicio, candide tamen fateantur, communem heic ſententiam de creatura ab hominibus, ipſisque maxime fidelibus, diſtincta, aliquid facilitatis & ſimplicitatis habere, quo ceteræ expoſitiones carere videntur. Jam olim mirati ſunt interpretes, GROTIUM eruditionis criticæ & antiquariæ haud ignarum, & conſcium quoque dubiorum, quæ heic moveri ſolent, agnoviſſe tamen, nativum hunc optimumque illius textus Apoſtolici ſenſum eſſe ad *h. l.* Sed & ejuſmodi confeſſionis ſpecimina colligi poſſunt ex recentibus *Virorum celebrium* monumentis, qui totam cauſam & merita hujus cauſæ proxime ac inter ultimos inſpexerunt. Dabimus aliquot exempla inſignia. Ipſe ex Noſtris J. C. WOLFIUS poſt recenſitas potiores ſententias Virorum ſpectatæ eruditionis contrarias, ipſius etiam ITTIGII, DEYLINGII, LÖSCHERI, FÖRTSCHIIque, hæc tandem verba ſubjicit: *Mihi, fateor, hæc interpretatio adeo ſimplex, & tum ſcopo Apoſtoli, tum totius Orationis nexui accommodata videtur, ut non difficulter reliquis omnibus præferam, præcipue, ſi ab abuſu, quem plures ab illa prudenter amoliti ſunt, libera præſtetur, nec omnia nimis preſſe urgeantur. Cur. Philol. & Crit. in IV. priores S. Pauli epiſtolas p. 149.* Ex Reformatis JOH. ALPHONSUS TURRETTINUS in *Commentario* ad *Ep. ad Rom.* poſthumo, utut deinceps aliam præferat ſententiam, agnoſcit tamen & fatetur ſua quoque ex parte, *præter id, quod ſit receptiſſima hujus loci expoſitio, & maximi nominis patronos habeat, eam & voci κτισις, & παση η κτισις, aptiſſime convenire, & ceteras textus partes non infeliciter interpretari.* Num vero dubitandi rationes ab ipſo poſtea allatæ ab hac tam apta exegeſi eum jure dimoverint? ſuo loco poſtea examinabimus. Hoc loco ſolam iſtam confeſſionem memorabilem notamus, quam *l. c.*

p. 278.

p. 278. legimus. Modernus Academiæ Franequeranæ Theologus, HENR. VENEMA, non modo occasione verborum *Apostoli:* *δια τον υποταξαντα*: sed etiam alludens, ut opinor, ad totam illius sententiam de creatura vanitati subjecta &c. quam ille omnino ex communi doctrina interpretatur, *Nescio*, inquit, *quo fato acciderit*, ut *clara hæc verba tam diversis lusibus fuerint subjecta.* V. *Notæ* illius *in ep. ad Romanos* in *Opusculis* STEPH. *de* BRAIS per ipsum denuo editis *p. 303.* Præcipua quadam ratione in hanc rem allegari meretur Theologus hodie Giessensis celebratissimus, JOH. HERM. BENNERUS, qui quamvis dissentiens in summa rei, illo ipso loco, quo abjicit communem sententiam de creatura ab hominibus distincta, insigne tamen illi præbet testimonium, dum scribit: *Hoc certum est, ex sententiis omnibus, quæ præterea natæ sunt, palmam isti tribuendam esse, nisi* NB. *id unicum obstaret, quod η κτισις vindicanda sit in libertatem filiorum Dei a servitute corruptionis*, & paulo post: *Cetera ne quid dissimulem, adeo favent isti sententiæ, ut eam præ reliquis omnibus, nisi id unicum obstaret, amplectendam nobis esse putaremus.* V. erudit. *Diss.* hujus *Theologi* de *Gemitu Ecclesiæ suspirantis libertatem c. V. §. 5. p. 61.* ubi ipse passim solvit objectiones communi sententiæ contrarias, quæ aliis *dissentientibus* invictæ habentur. Quid vero adversus unicum illud dubium non sine specie excipi possit pro communi exegesi, suo deinceps loco annotabimus. Magnum certe in hac declaratione totius controversiæ compendium est. Nolim denique negligere hoc loco *N. T. Berol. Gloss.* cujus hac parte Autor fuit ISACUS BEAUSOBRE, teste illius *Vita Hist. Manich.* inserta; Ibi vir alias liberrime cogitans, nec vulgaribus affixus opinionibus, præmissa historice creaturæ per fideles expositione, de recepta & communi sic judicat in notis ad *h. l.* *Bienque cette explication, qu' on n' a pas voulu supprimer, ait quelque chose d' ingenieux, on s' arrête a celle, qui est la plus commune, parcequ' elle s' ajouste mieux avec le texte. S. Paul, qui personnifie souvent les choses, ou leur qualitez, attribue icy aux Creatures inanimées des desirs, une attention, une volonté. Les Prophetes sont pleins de semblables prosopopées. Il veut dire, que l' on ne doit pas s' impatienter, que la glorification*

des fideles, *& meme de ceux*, *qui ont reçû les premices de l'esprit*, *ne doit arriver*, *qu' avec le renouvellement du monde*. Selectis his exemplis in præsentia contenti sumus, non ut autoritates autoritatibus opponamus (quamvis id non sit in omni casu illicitum) sed ut inde intelligamus, tantam inesse prærogativam & vim quasi præjudicialem communi sententiæ, ut absque urgentissimis rationibus deseri aut vilipendi non debeat.

§. 4.

Secundo loco status præsens hujus controversiæ exegeticæ cavere nos jubet, ne temere nobis eripi patiamur excellens & a ceteris distinctum *Apostoli* argumentum, hoc uno eventu exituque, ut ejus loco idipsum dicatur, quod sic satis jam expressum est in ceteris *S. Viri* verbis; atque adeo & ibi quærere sine necessitate inutile ac superfluum videri potest non absque ratione. Si quis fideles quoscunque, eorumque desideria ac suspiria pro liberatione sua, quærat apud Apostolum, illos utique magis apposite & longe certius inveniet sub titulo *filiorum Dei*, & *primitias Spiritus habentium*, quam sub nomine vago & generali *κτισεως*. Pulcherrimæ huic parti sententiæ doctrinæque Apostolicæ ne hilum quidem decedet, quamvis distincta & separata ratio credatur inesse in iis, quæ *de creatura gemebunda* sermone proprio & distincto *Paulus* Apostolus enuntiat. Quid opus est, huic nocere, ut alteri haud necessaria adcrescat utilitas? Stringimus hanc observationem. Creaturas ab hominibus distinctas ingemiscere statui suo præsenti, servire vanitati, esse in statu nexuque post peccatum primitivæ & nativæ earum conditioni nequaquam, vel saltem non omni ex parte, consono, ac præterea liberationem ab his ipsis divinitus esse destinatam, procul dubio agnoscunt plurimi, ex eorum quoque numero, qui negant, ea de re *textum* docere *Apostolicum*. Enimvero hanc veritatem gravissimam delere ex argumentis *Apostoli*, ubi apposite potuit applicari, ubi actu ipso applicatum esse, quam maxime verisimile est, ubi vim eximiam habet probandi, ubi ceteris veritatibus, quæ aliis curæ cordique sunt merito, nihil prorsus decedit, non modo necesse non est, sed nec utile & conveniens est. Solent utique interpretes hanc regulam

herme-

hermenevticam non contemnere, qua in textu aliquo Biblico non facile permittitur in unam confundere rationes a se distinctas, & in bonam partem vertitur, ubi loco unius duæ rationes Deo dignæ inde possunt erui. Sic e. g. (utut hoc exemplum nonnullis sit odiosum) hæc regula favet illis, qui *Rom. I. 20.* verba: απο κτισεως κοσμȣ: non de creaturis mundi, sed de tempore durantis a creatione sua mundi interpretantur. Ex ποιημασι seu operibus Dei, consequenter & a creatione, aliud suo loco argumentum *Paulus* nectit egregium in *seqq.* Quid ergo opus est idem in verbis: απο κτισεως κοσμȣ: quærere? Est vero in illis nova emphasis, & gravissima insuper ratiocinatio Apostoli, jam a creatione, a primis mundi initiis, Deum se manifestasse, eo modo & gradu, ut homines Dei cognitionem cultumque negligentes omni excusatione careant. Vel sola hæc ratio prærogativam huic expositioni conciliat. Est utique in ipsa etiam fœcunditate sermonis sacri divina sapientia. Plures si concurrant rationes Deo dignæ, vis utique unita eo est fortior. Igitur ex hac quoque consideratione favorabile oritur præjudicium pro communi sententia.

§. 5.

Discimus *tertio* ex præsente statu hujus controversiæ exegeticæ, primam, vel saltem inter primas non postremam, occasionem discedendi a communi sententia fuisse observationem quandam criticam ex *antiquitatibus Judaicis* vel *Rabbinicis*, per quam nonnulli Viri Eruditi novam lucem oriri huic controversiæ crediderunt, petitam. Eam potissimum in *Horis* suis *Hebraicis* produxit JOH. LIGHTFOTUS, asserens, esse phraseologiam Judæis tritissimam, per quam homines, præcipue vero gentiles, intelligant. Hinc & eodem sensu *Marc. XVI. 15.* & *Col. I. 23.* voc. κτισεως fuisse adhibitum a *Christo Domino* & *Apostolis*. Et certe occasione hujus ευρηματος plures alii Viri Docti vix amplius dubitare cœperunt, secundum hanc hypothesin verba quoque *Apostoli Rom. IIX.* esse exponenda, quasi huic loco optime conveniret, omnibusque dubiis heic occurrentibus par esset. Eousque processum est in hac causa, ut erroris tam late

 disse-

disseminati originem inde repetant nonnulli, quod primi illius auctores vocem κτισεως non recte intellexerint, &c. An autem hæc observatio tanti haberi mereatur, ut propter eam cetera deserantur omnia? ingens undique & nondum expedita quæstio est. Accurate conveniunt cum cogitatis meis pridem conceptis, quæ ipse Ven. BENNERVS in *Diss. cit.* utut in reliquis dissentiens, novæ illi objecit hypothesi. Utar igitur Viri docti verbis, tanquam extra partes omnes heic constituti. *Si quæras*, inquit, *unde constet, κτισιν esse collectos ad Christum paganos? Si ex stylo veteris aut novi Testamenti proferri cupias argumenta, ibi firmamenta destituunt vestigantem.* Et rursus: *Nondum evidenter adprobatum esse credimus, jam tum Pauli tempore illam sapientum Hebræorum phrasin ita percrebuisse, ut posset a Paulo in orationem Græcam Sancti Codicis inferri.* Denique post multa alia similia addit Vir doctus: *Id maxime considerandum mihi videtur, homines Hebræos immodico semper fastu turgentes per contemtum id nominis indidisse paganis, ut illos Creaturas, se homines, Israëlitas, Sapientes, sc. appellarent. Paulum adeo per contemtum loqui de fratribus alienigenis, & arrogantiam in illa re Iudæorum alere ac fovere, quis opinetur? l. c. p. 63. seqq.* ubi & merito reprehendit *Dissert.* quandam *de gloriosa filiorum Dei libertate*, quæ statuerat, Paulum ideo vocem κτισεως adhibuisse, quod fideles tunc temporis tam abjecto loco haberentur ab hostibus suis, ut ignominioso nomine creaturæ gravarentur„ Addimus quoque non sine gravi causa, quod a Viris Doctis passim observatum, etiam in aliis hujusmodi Antiquarios sæpe peccasse per excessum, dum omnia prope dicta & formulas Salvatoris ex istis fontibus derivare ausi sunt, quasi plerumque accommodatas phrasibus & formulis gentis Judaicæ: cui vero hypothesi, saltem exaggeratissimæ illius amplificationi, ceteri acriter contradixerunt Theologi. Eundem paralogismum hoc quoque loco commissum esse, valde probabile est. Adversus parallelismum *Marc. XVI. 15.* & *Col. I. 23.* ejusque nexum cum observatione ista Talmudico - Rabbinica gravia multa excipere facillimum est. Lusus illi Judaici sunt longe recentiores. Nec opus est in universum illius phraseos usum exinde repetere. Nihil attinet in locis istis de solis

gen-

gentilibus cogitare. Hinc alii totum genus humanum ex Judæis & gentibus constans hoc nomine indigitari statuerunt, ut postea videbimus. Si quam emphasin *Marc. XVI.* in generali notione κτισεως liberet quærere, satius esset de fructu & beneficiis redemtionis Christi atque Evangelii ipsius in mundo prædicati certo sensu ad alias quoque Creaturas, præter homines, redundantibus cogitare: uti sane hoc scopo Theologi integris *Dissertationibus* de *efficacia meriti Christi regnique gratiæ in regno potentiæ* docuerunt. Sed ne quidem opus est de hoc disputare. Quo sensu voc. κτισεως sit intelligendum? materia docet substrata. Ex solo vocabulo plena decisio non sequitur. Hinc apparet, quantum discrimen sit inter textus *Marc. XVI.* & *Rom. IIX.* Ibi est creatura, cui annuntiari vel prædicari potest Evangelium. Hic est creatura suspirans & vanitati obnoxia. Si prius dici non potest, nisi de creaturis rationalibus, falsum tamen est, dici non posse, quod etiam creaturæ reliquæ non possint servire vanitati & corruptioni, certoque sensu super hac servitute ingemiscere. Non potest igitur hactenus ab uno textu ad alium concludi, nisi cetera sint paria, quæ tamen paritas ostendi non potest. Phrasis Paulina *Col. I. 23.* τȣ κηρυχθεντος εν πασῃ τῃ κτισει τῃ υπο τον ȣρανον adhuc minus comparari potest cum sensu voc. κτισεως *Rom. IIX.* partim ex eadem ratione, quam modo diximus, partim, quia quæri adhuc potest, annon prædicare τῃ κτισει diversum sit a prædicare εν πασῃ τῃ κτισει? *V. 6.* eadem res exprimitur per verba: εν παντι τω κοσμω, quod non modo incolas, sed etiam locum habitationis designat. Quicquid horum sit, certum esse videtur, quod ex *ll. cc.* de sensu *Rom. IIX. 19.* seqq. apodictice judicari nequeat, nec sequatur, si in prioribus locis vox κτισεως de hominibus exponi potest ac debet, idem etiam fieri in posteriori oportere, cum magna sit & notoria inter utrosque textus diversitas. Patet igitur, hypothesin illam, quæ in statu præsente hujus controversiæ omnem prope facit paginam, ad eam cum certitudine definiendam prorsus non sufficere.

§. 6.

Deprehendimus 4. in præſente ſtatu hujus controverſiæ exegeticæ, quod, cum ſenſus vocis *κτισεως* ordinarius planus ſit & facilis, ac præterea ſemper idem ac ſibi conſtans, e contrario nova & inſolita illius acceptio apud *Viros doctos*, qui eam defendunt, usque adeo fixa & certa non ſit, ſi vel paululum ad exegeſin ſpecialem ſit progrediendum, ut potius in hunc usque diem mirabili modo verſa reperiatur in varias formas, ſitque ſenſim formata & reformata ſenſimque, imo etiam correcta & emendata, ut ſemper deſtruat iterum, vel in totum, vel in tantum, quod alter ædificaverat. Non eſt ſane hæc perpetua viciſſitudo, & renovata continuo ſcena, indicium certitudinis & convictionis, quin ſpeciem potius præbet, non eſſe *radicem verbi* in hac hypotheſi, nec tuto firmoque gradu eidem inniti poſſe interpretes. Primos Autores novæ ſignificationis voc. *κτισεως* primos quoque eſſe oportebat, qui fruerentur ſuo labore in vero & genuino hujus loci ſenſu indagando inveniendoque. Atqui illi infelices fuerunt hac parte, dum inciderunt ſuis meditationibus in *gentiles prædicationem Evangelii ſibi exoptantes & liberationem a tenebris ſuis Ethnicis.* Mox enim alii Viri docti retexebant hanc telam, & videbant acute, aberrare a vero ſenſu textus Apoſtolici, qui ſic ſentiunt: oſtendebant enim, clariſſimum eſſe, *quod hic non ad gratiam præſentis, ſed ad gloriam futuræ vitæ, reſpiciat Apoſtolus, non ad revelationem Evangelii, ſed ad adoptionem vel filiationem ſummi ordinis conjunctam cum ipſius quoque corporis liberatione & ἀπολυτρώσει.* His perſpectis incommodis alii expoſuerunt *κτισιν* de Chriſtianis ſeu fidelibus ex gentiliſmo converſis, in quos utique rectius iſte gemitus cum reliquis prædicatis quadrat. Enimvero ne id quidem placuit multis ex eorum quoque numero, qui *κτισιν* de hominibus exponendam eſſe cenſent. Monuerunt, *abire hanc ſignificationem ab uſu illius* phraſeos *Judaico, unde tamen deſumta credatur: nullam rationem adeſſe, cur Paulus de deſiderio futuræ gloriæ tractans diſtinguere voluerit a deſiderio fidelium paganorum deſiderium Hebræorum fidelium, quorum tamen in civitate Chriſti ſit æqualis conditio.* Poſtquam alii fideles in genere ſub-

ſtituerunt, quod unum utique tunc dici poterat in hac hypotheſi, non defecerunt ex eodem genere Scriptores, qui reformatis his ideis contradicerent. *Primo*, inquiunt, *ſi fideles deſignare voluiſſet Paulus, eos vocaſſet καινην κτισιν, καινες ανθρωπες, quemadmodum alibi vocantur. Secundo. Creatura, de qua hic ſermo eſt, a fidelibus aperte diſtinguitur, nam dicitur expectare revelationem filiorum Dei. E. filii Dei & creatura, de qua hic agitur, idem non ſunt.* Ut alias ipſorum rationes ſimiles prætereamus. Addimus & iſtud exemplum. Sollicitavit quoſdam cum Veteres, tum Recentiores, notio πασης της κτισεως de creaturis rationalibus accipienda ad credendum, quod de bonis ad minimum angelis aliquid ſimile dici poſſit ob eorum in hoc mundo miniſteria. Nequaquam vero aliis plerisque placuit hæc meditatio, cui noviſſimus quidam *Scriptor* iſtam cenſuram oppoſuit. *Quomodo*, inquit, *de puris illis oppido & beatis dicetur Angelis, eos eſſe ſubjectos vanitati, imo & ſervituti corruptionis, e qua optent ac expectent liberari? Dicunt, eos propter hominum peccata ad varia miniſteria in terris obeunda obligari, quæ iis ingrata videntur, & a quibus liberari cupiunt. Sed injuria eſt ſanctiſſimis illis Spiritibus hæc cogitatio. Etenim, qua ſunt pietate, nulla non miniſteria a Deo impoſita lubentiſſime obeunt. Ut jam mittamus, nullam eſſe cauſam, cur angeli, ſive boni, ſive mali, generali illo κτισεως nomine vocentur.* Omnia iſta hactenus non eo fine propoſuimus, ut de valore ſingularum rationum, quas una pars alteri oppoſuit, decretorium hic ferremus judicium; ex ipſa autem variatione unius hypotheſeos per tot ramos hanc rurſus concluſionem elicimus, communem ſententiam apud ſuos defenſores eſſe firmiorem, quam alteram illam ejus ruinis ſuperſtructam: idque præjudicium pro exegeſi recepta, noſtro tenui judicio, non eſſe negligendum.

§. 7.

Superſunt ex eodem genere *duæ* maxime *ſententiæ*, quæ locum ſingularem merentur. *Una* eſt, quæ hanc κτισιν rejectis ceteris opinionibus univerſis exponit de toto genere humano: *Altera* vero, quæ eandem interpretatur de Eccleſia N. T. In priore hypotheſi pleraque, quæ objiciuntur, incommoda declinantur per reſtrictio-

nem κτισεως ad gentes universas, seu totum genus humanum, quousque illud in communi miseriis, morbis, & tandem morti obnoxium est, illi vero, qui primitias Spiritus habere dicuntur, explicantur de Apostolis aliisque primæ notæ Christianis. Unde duo derivantur argumenta consolatoria ex mente Apostoli. Primum est, si hæc sit communis hominum conditio, natura & constitutio vitæ humanæ, num grave Christianis videri debeat, quod suam quoque partem in illis miseriis habeant: Alterum autem, si Apostoli, qui tantis præ Christianorum vulgo prærogativis gaudebant, qui prima, imo & præstantissima, Spiritus S. dona acceperant, tamen eadem mala cum ceteris experiantur, vitamque in suspiriis & gemitibus trahant, grave ceteris videri non debere, quod eadem ipsis sors sit, iisdemque miseriis involvantur,, Quod ad *alteram hypothesin* attinet, quam Vir quidam doctissimus receptæ interpretationi substituit, ea in pleniore Systemate huc redit: ,, Tria ab Apostolo adhiberi desideria, quorum primum sub nomine κτισεως est Ecclesiæ N. T. quamdiu est in hoc mundo, ubi liberationem a vanitate & revelationem suæ gloriæ anhelat: secundum est Ecclesiæ in cœlo, ubi revelationem suæ gloriæ, & plenum jus filiorum suspirat: Tertium desiderium singulorum privatum, quo tum revelationem sui gloriosam, tum liberationem hujus corporis anhelant. ,, Quilibet intelligit, Viros hosce doctissimos, meditationum istarum Autores, postquam a communi sententia discedendum esse rati sunt, supplere his voluisse defectus & lacunas eorum, quos in §. 6. allegavimus. Nec certe inficias quis iverit, multa ab iis heic ingeniose excogitata & perpolita esse, imo digna esse, quæ in examine hujus controversiæ exegeticæ sine studio partium & cum cura attendantur. Interim certum quoque est, has quoque meditationes suis nodis ac difficultatibus nequaquam destitui. *Primo* quidem nova in his hypothesibus exempla sunt illius mutationis & reformationis, de qua in §. 6. diximus. Ideo adduntur hæc cogitata, quia tot alia haud plene satisfaciunt. *Secundo* autem satis apertum est, hypothesin de κτισει per totum genus humanum explicanda, iisdem premi dubiis, & parum differ-

differre reipsa ab iis, quæ prius dixerant alii: cum enim vel sic genus humanum distincte considerari debeat a fidelibus & Christianis, id unum superest, ut non homines universi, sed vel gentiles, vel Judæi, vel falsi Christiani sint illa ipsa κτισις, de qua loquitur Apostolus. *Tertio* declamatoria magis videntur, quam solida, cum multis verbis prætenditur, fuisse apud gentes universas ea desideria, eam expectationem & spem, quam Paulus describit, eo quod innata sit hominibus universis immortalitatis ac felicitatis cupido &c. Confusas istas, impuras, & omni fundamento solido vacuas gentilium ideas & judicia de statu hujus & futuri mundi in exemplum & excitationem Christianorum proponere voluisse, quis crediderit? Imo vero ubique eos repræsentat Paulus ut homines ελπιδα μη εχοντας. *Ephes. II. 12. 1. Thess. IV. 13.* atque adeo parum idoneos, a quibus hac parte Christiani discere quid possint in patientia malorum hujus vitæ, & spe futuræ liberationis. *Quarto* idem hic est parallelismi *Marc. XVI.* & *Col. I.* cum *loco nostro* defectus, qui alibi quoque regnat. Potuit Evangelium prædicari πασῃ τῃ κτισει atque adeo, si velis, generi humano universo: sed non ideo totum genus humanum est illa κτισις, quæ suspirat ac desiderat libertatem & gloriam filiorum Dei. Hæc sunt prædicata diversissima, atque adeo & diversa postulant subjecta. Hactenus igitur in summa rei nihil expeditum est, sed dubia saltem dubiis cumulantur & permutantur. Sed nec *altera hypothesis* omni exceptione major esse videtur de Ecclesiæ sc. militantis ac triumphantis, nec non privatorum fidelium suspiriis. Res ipsa vera est & ardua: id unum quæritur, an ea sit argumentum doctrinæ Apostolicæ, de qua hic agitur? Maxime verba v. 21. αχρι τȣ νυν supponere videntur, creaturam congemiscentem alibi, quam in Ecclesia N. T. quærendam, ad minimum ibi non incipere. Non liquet, sub nomine κτισεως proponi Ecclesiam: & revera nulla adduci potest ratio, cur sic loqui voluerit Apostolus præter omnem morem suum. Sine gravi necessitate, ut postea videbimus, plana & facilis hujus vocabuli significatio abjicitur in hoc loco, quæ magis certa est, & cujus prærogativæ magna ex parte

agno-



agnoſcuntur. Porro prorſus non eſt opus, *primitias Spiritus habentes* in cœlo hic quærere, cum aptiſſime idem conveniat vel quibusvis fidelibus, vel, ſi credatur, aliquid etiam eximium tribui parti fidelium, illis ipſis fidelibus, qui inter primos, ſive ex Judæis, ſive ex gentilibus, ad Dominum converſi ſunt. Certe id, quo beati in cœlo jam fruuntur, longe ultra primitias hujus vitæ aſſurgit, rectius autem quadrant iſtæ primitiæ in eam partem beatitudinis, quam fideles in hac vita partim reipſa, partim ſpe, præcipiunt, teſte ipſo *Apoſtolo v. 24.* Jam olim quoque contra eos, qui angelos quoque huic cauſæ miſcere voluerunt, monitum eſt, αποκαραδοκιαν quidem civibus facilius tribui cœleſtibus, ſed non το συστεναζειν ſive το συνωδινειν. Oſtendunt etiam exempla Virorum doctorum, ne quidem verba: και ημεις αυτοι: neceſſe eſſe ad aliud ſubjectum a prioribus diſtinctum applicare. Denique, ſi placeret in *v. 23.* hanc emphaſin requirere, triplex illud ſuſpirium ibi liceret invenire, non vero in *verſibus præcedd.* quorum ſubjectum eſt η κτισις & πασα η κτισις ab illis omnibus facile diſtinguenda. Imo ſecundum illud filum fieri poſſet non incommode, ut non tria, ſed quatuor, ſuſpiria ponantur, ſiquidem alia via textui ſatisfieri non poſſet, quod tamen nemo temere affirmaverit.

§. 8.

Diſcimus porro 5. ex præſente ſtatu *controverſiæ* noſtræ *exegeticæ*, quænam adhuc hodie reperiantur rationes, propter quas *Viri* quidam *doctiſſimi*, cum alias a communi ſententia haud nimis alieni videantur, quaſi inviti & præter inclinationem, ab ea ſibi recedendum eſſe exiſtiment. Dicitur paſſim ab *hoc* Viro erudito, *oleum & operam eos perdere, qui iſtam defendunt:* ab *illo*, *habere eos in ipſa verborum ſerie, quod reclamet:* ab *iſto*, *adeſſe omnino rationes quaſdam, quæ ab illa hypotheſi amplectenda deterreant.* Plures ejus generis qualificationes non adducimus. Liceat ex modernis Scriptoribus inſignibus J. ALPH. TURRETTINUM, & Ven. BENNERUM ad hunc ſcopum deligere, ut ex eorum objectionibus, quaſi per veritatem extortis, occaſionem habeamus explorandi, an cauſa adeo deplorata & conclamata

mata sit, quam communiter hucusque defenderunt Theologi? Aliqua TURRETTINI verba supra jam §. 3. adduximus, quibus is deinde seqq. subjungit. *Primo*, inquit, *dura admodum & loco parum apta videtur, quam hic ponunt, prosopopœia. Fatemur quidem, & in Psalmis, & apud Prophetas non infrequentes esse prosopopæas.. Verum ab epistola, qualis hæc est, figura adeo sublimis atque audax aliena esse videtur. 2. Quod supponitur in hac hypothesi, orbem universum hominis peccato in deterius versum esse, id nullibi docet Scriptura, & a verisimilitudine plane abhorret. De terra quidem dicitur, quod maledicta erit propter hominem, & quod spinas feret* &c. *sed nihil de ceteris orbis partibus. 3. Loquitur Apostolus de re notissima. Scimus, inquit. Quis vero dicat, anxiam illam expectationem Creaturarum, etiam inanimatarum, & suspiria, & spem, fore, ut gloriæ filiorum Dei participes sint, (quæ quidem est duntaxat figura sermonis) fuisse quid notissimum? Denique quid pertineret illa prosopopæa ad consolandos fideles afflictos & vexatos, qui tamen scopus est sermonis illius Apostolici? l.* supra *cit. p. 278.* Enimvero non omnes arbitrabuntur, in his objectionibus TURRETTINI invictam esse vim probandi. Quod ad *primam* attinet, non opus certé est disputare, an figura ista prosopopœia possit vocari? vel an mera sit metaphora? Sufficit hujusmodi figuras in S. literis tam frequentes esse, ut in dubium jure revocari nequeant. Ipse Ven. BENNERUS scribit, *tantum abesse, ut audacior ille tropus censeri debeat, ut elegans potius & dignissimus Scriptore sacro, & frequens in sanctioribus tabulis jure reputetur... Hoc loco κτισις gemere dicitur & suspirare hoc sensu: Creaturæ certissima liberatio parata est, ad quam propius in singulos dies tendit, ejusque abusus movet conditorem, ut liberationem promissam maturet. Atque illis metaphoris quid est in S. literis usitatius? Dissert. cit. p. 62.* vid. & seqq. Igitur ne illis quidem, ut ex his speciminibus colligimus, ista objectio tanti est, qui quoad summam rei consentiunt cum negantibus. Lubens etiam fateor, nec me ea ratione valde moveri, si cetera sint imparia. Majus momentum *secunda objectio* habere videtur. Et credibile profecto est, non tam reliquas de vocabulo κτισεως disputationes criticas in causa esse, cur communior sententia paulatim αχυρος & ingrata facta sit? quam nodos illos Philosophico-Theologicos, quos multi in ea corruptione & vanitate πασης της κτισεως, & reli-

quis, invenire sibi visi sunt. Nos existimamus, in examine hujus causæ incipiendum esse a certis, quæ nemo facile diffiteri possit. Cum doctrina Apostoli de gemitu creaturarum ob servitutem vanitatis & corruptionis hominum causa sit tradita, omnino ante omnia heic cogitandum est de creaturis illis, quæ nexum habent cum hominibus, eorum usui & potestati subjacent, ab illorum statu in suo quoque statu plurimum pendent, & peccati causa & ipsæ sequelis peccati humani factæ sunt obnoxiæ. Sic de terra, quam homines inhabitant, certum est, quod illi *maledictio* quædam propter peccatum hominis imposita sit. *Gen. III. 17. V. 29.* Eam per peccata, sive privata, seu publica & longe lateque grassantia durantiaque *pollui* & *corrumpi* (φθειρεσθαι) sæpissime testatur Scriptura, hæcque aliquando erit gloria Dei sancti & fortis, ac jubilum Cœli & terræ, quando Deus *judicabit eos*, *qui terram suis fornicationibus omnis generis corruperant* per longum tempus (ητις εφθειρε την γην εν τη πορνεια αυτης) vid. *Levit. XIIX. 27. Apoc. XIX. 2.* Huc procul dubio etiam pertinet magna illa potestas Satanæ & malorum Spirituum in creaturas post peccatum, partim proprium, partim ipsorum hominum, quæ non prius cessabit, nisi cum hoc mundo, & omnibus illis scenis, quæ peccati durantis fructus sunt & consectaria. Nec illud dubitandum, universalem prope & horribilem abusum Creaturarum per homines ad peccandum, & per peccata, quam maxime pertinere ad *servitutem vanitatis & corruptionis*, de qua *Paulus* nos docet. Quodsi porro consideramus nexum Creaturarum, mutuumque earum Systema & vinculum, partim physicum, partim morale, nec illud absurdum erit dicere, posse in sensu Scripturario illis quoque Creaturis hujusmodi στεναζειν & ωδινειν attribui, quas forte in se ipsis illa φθορα και ματαιοτης physice attingere non potuit, ob communionem mutuam, & relationem sive generalem, sive specialem, quæ infinitis modis inter creaturas locum habet. Eo modestius tamen de his specialibus est loquendum, quo certior est nostra ignorantia de rebus multis, iisque haud minimi ponderis, utut procul dubio totus ille status Creaturarum, earumque per peccatum & post peccatum conditio longissime majora & plura involvat, de quibus nos specialem reddere non possumus rationem. Uno verbo, cavendum est, ne objectio-

jectionibus variis & nimis audacibus præjudicium creemus veritatibus in se hic satis certis, quarum momentum in ordine ad Deum ejusque sanctissimum regimen nequaquam est exiguum. *Tertia* dubitandi ratio TURRETTINI, quamvis & ab aliis ante ipsum odiose adhibita, eo minus morari nos debet, quoniam ipse, dum adstruit & urget suam hypothesin de gemitu κτισεως tanquam totius generis humani suspiriis, operose probare conatur, eam esse conditionem universi generis humani, ut perpetuis mutationibus, miseriis, ac morti tandem obnoxium sit, hincque fiat, ut sub pondere miseriarum suarum gemat, suspiret, & feliciorem sortem desideret. Hæc si vera sunt, nec ipsis Ethnicis ignota fuere, quæ huc in summa rei pertinent. Enimvero hac confessione ne quidem opus est. Loquitur *Apostolus* de seipso, loquitur de Christianis, quibus hac parte revelatio & lux amplior contigit, & quibus ea, quæ Apostolus heic docet, ignota esse non potuerunt. Recte igitur dicere potuit: Οιδαμεν; Novimus, nim. non tantum per traditionem qualemcunque & enervatam, atque corruptam, sicut gentiles, sed certa ac divina fide. Quod denique TURRETTINUS objicit, nulli usui futuram hanc figuram ad consolandos fideles afflictos & vexatos, id sane nec illi concedunt, qui alioqui cum ipso locum nostrum aliter, ac vulgo fieri solet, explicant, largiuntur enim, admissa ea hypothesi, hunc sensum fore: *creaturæ omni certissime paratam esse liberationem, ejusque abusus movere Creatorem, ut liberationem promissam maturet: multo adhuc magis fidelibus expectandam esse in patientia liberationem suam gloriosam, eamque certo certius esse eventuram.* Eodem jure dici alias posset, nullum usum habuisse figuram exhortandi Israëlitas seu Judæos, quando in parænesi sua Deus *cœlum audire* jussit, & *terram in aures admittere*, quæ *Dominus sit locuturus. Es. I. 2. 3.* itemque in locis aliis innumeris. Est enim heic exhortationis & consolationis eadem ratio. Judicet nunc lector, an Vir alias judiciosissimus satis graves habuerit causas propter has objectiones deserendi receptam interpretationem, de qua paulo ante confessus est ipse, eam & verbis κτισεως convenire, & ceteras textus partes non infeliciter interpretari? Superest illa ipsa ratio, ob quam, si vel *sola* esset, communem sententiam stare non posse, Viri quidam Doctissimi existimant: Secuturum nim. si



id Apostolus vellet, creaturas etiam reliquas in libertate gloriæ filiorum Dei partes aliquas esse habituras, quod utique rei ipsi repugnet. ελευθερωθησεται η κτισις .. εις την ελευθεριαν της δοξης των τεκνων τȣ Θεȣ: sunt illa Apostoli verba, quæ putant esse clarissima. Enimvero & hic nescio, cur Viri docti tam exiguam rationem habeant illarum responsionum, quibus ista difficultas pridem mitigata & sublata est. Multa hic nervose complexus est MARCKIUS. *Præpositionem εις, inquit, accipe, si lubet, finaliter, in, ad, propter libertatem gloriæ filiorum Dei, ut hæc eo modo augeatur & illustretur .. Illam, si mavis, cape conditionaliter, ad, præter, supra libertatem gloriæ filiorum Dei, ut ad hanc jungatur etiam liberatio creaturæ. Illam, si id magis placet, intellige normaliter & suo modo terminative, ad, juxta, secundum libertatem* &c. *ut ad ejus similitudinem fiat & progrediatur creaturæ liberatio. Illam, si aliud adhuc vis, expone temporaliter per εν, in libertate: quando hæc eis continget, creatura quoque liberabitur. Illam, si neque sic tibi satisfactum sit, redde efficienter seu instrumentaliter per libertatem* &c. *ut Creatura hoc ipso sit liberanda, quod filii Dei sint liberandi a peccato & pœna omni.* V. Sylloge *Dissert. Exercit. XIIX. p. 558.* Ut taceamus, ne absurdum quidem esse, si Creaturis aliqua participatio gloriæ fidelium tribuatur, non eodem quidem modo, sed pro conditione subjecti, & quousque id creaturis liberandis convenit. Imo valde morosum oportet esse Criticum, qui id negare sustineat dictis modis expositum. Hinc & BEAUSOBRE vertit hæc verba: *dans l'esperance, qu'elles seront aussi delivrées de la servitude de la corruption pour (jouir) de la liberté & de la gloire des enfans de Dieu* & in *Not. de la gloire par le renouvellement du monde, & de la liberté, par l'abolition de la Tyrannie, que l'homme pecheur exerce sur les Créatures. N. T. gloss.* ad *h. l.* Quo ipso constructioni voc. απο & εις, in quo tantum pondus a nonnullis heic collocatur, in sensum termini a quo & ad quem, prorsus nihil derogatur. Putamus igitur, si hæc sola obstet ratio, posse communi sententiæ antiquum suum locum & honorem omnino vel servari, vel restitui. Conf. Wolf. *Cur. Philol.* ad *h. l. p. 150.*

§. 9.

Observamus 6. ex præsente statu controversiæ hujus exegetico-dogmaticæ, eam cum altera quæstione de *Annihilatione* vel *Renovatione mundi futura* & reipsa esse connexam, & nostra quoque ætate varia

oc-

occasione & intentione connecti a disputantibus Theologis, DANNHAUERUS in *Diss. de Gemitu Creaturarum*, quæ *XI.* est in *P. I. Voluminis Diss.* conjunctim editi, in *C. VI.* de *Terminandi modo ac tempore* quærit primo: *Quomodo illud?* ac respondet: *Per ipsum sui non esse, per annihilationem, quam deinde e scopo desiderii Creaturæ, e finis genere, e paritate creaturæ bestialis, ac denique ex harmonia parallelorum* pluribus verbis adstruit. *p. 232. seqq.* Ven. HENRICUS KLAUSINGIUS, Theologus Lipsiensis, in celebri *Diss.* de *annihilatione mundi p. 15. seqq.* hoc maxime fine tractat *locum* nostrum *Apostolicum*, ut ostendat, nihil contra annihilationem, nihil pro renovatione mundi inde concludi posse, ratus nim. omnino per annihilationem quoque liberationem Creaturæ (quam ceteroquin recepto more explicat) designatam censeri posse, variisque objectionibus huic opinioni oppositis respondet, quas hoc loco ut repetamus, necesse non est, postquam multa in hanc rem diximus *Institut. Exegetico - Theologicis p. 1163. seq.* Ex novissimis autem Theologis huc referri meretur Ven. D. BURGMANNUS, Rostochiensis hodie Theologus. Is enim in *Programmate* ad *Disput. inauguralem Prof.* SASSE *de Cœlo novo & nova terra*, postquam acrius, ac unquam antea ab ullo factum est Theologo, non modo veritatem, sed etiam jus problematis abjudicavit sententiæ de futura Renovatione mundi, diligenter quoque cavit, ne *Pauli* dictum *Rom. VIII. 19. seqq* huic ulla ratione favere videatur. *Habet*, inquit responsionis loco, *non abnuo speciem aliquam oratio Apostolica, sed tantis cincta est difficultatibus, ut urgeri pro mundi restitutione nequeat.* &c. *l. c.* Nobis quidem perinde est, quicquid de quæstione dicta statuere quis velit, ferendum tamen non existimamus, ut necessitas aliqua annihilationem mundi statuendi imponatur in Ecclesiis nostris, & sive hæc, sive illa, sententia ex possessione antiqua suæ libertatis privata autoritate deturbetur. Est interim probabile, odium doctrinæ de Renovatione mundi hodie ex rationibus valde accessoriis invalescens validum quoque influxum in expositionem *Rom. IIX.* in posterum habiturum: frigidum enim & improbabile esse, quod Creatura per annihilationem sit liberanda, secundum Apostolum, pauci forte non vident. Alterum vero cum tantopere displicere cœperit, nihil jam superest, quam ut caput illud *Rom. IIX.*

sensu Qq. modernorum aliter explicatum divertatur alio, ac honeste sepeliatur. Quæ ceteroquin hac occasione in *cit. Programmate* paulo specialius contra me, & Ven. Collegam meum D. KLEMMIUM disputavit D. D. BURGMANNUS, nolim quidem in publicam contentionis materiam convertere. Si tamen dicere quicquam velimus in hac causa, putem, præcipuum robur objectionum esse in cumulatione tumultuaria multarum quæstionum, ad quarum plerasque illi, qui renovationem defendunt, vel pro problemate habent, nulla ratione respondere tenentur. Sunt illæ præterea paradoxæ, supponunt ignorantiam sufficientium datorum, propter quam multa specialia cum certitudine exponi non possunt, confundunt distinctissima, & saltus denique faciunt consequentiarum cum summa præcipitatione. Quæstiones maxime de malo quodam morali in cœlo & terra latente, & per ignem purificando alienæ sunt; neque credo, quod unquam patronus aliquis illius sententiæ de eo cogitaverit: Possent vicissim magno numero rependi quæstiones consimiles: Cur Deus non simplici potius verbo omnipotentiæ suæ mundum sit annihilaturus, quam per ignem exurentem & colliquantem, si hoc voluit, cum aliud sit exurere & dissolvere, & aliud annihilare? Quid opus sit futurum his ambagibus? An Deum deceat, ideo totum creare universum, ut postquam vix a creatione sua cœpit existere, maledictioni per reliqua pauca annorum millia subjectum, sine ullo alio usu totali divinitus a Creatore intento, iterum destruatur & annihiletur? aliaque id genus plura forte magis adhuc ponderosa quæstionibus prioribus. Si Deo placuerit renovare mundum quoque visibilem, de finibus ipsius legitimis & Deo dignis nulla tunc ratione est dubitandum. Ab hominibus illi fines & usus proprio arbitrio confingendi non sunt. Nec tamen fas est temere rejicere eos, qui sua verisimilitudine non destituuntur, qualis est, quod beati in renovato mundo habituri sint objectum contemplationis perfectorum Dei operum & laudum divinarum. Nihil contra facit, quod Deus beatus sit futurus omnia in omnibus. *1. Cor. XV. 28.* Nunquam enim demonstrari potest, Deum solum immediatum & unicum fore beatitudinis objectum beatis, eosdem vero e creaturis glorificatis nullam delectationem mediatam

&

& accessoriam sub Deo, & propter Deum, atque in gloriam Dei habituros: dicendum quoque alias, ne quidem inter seipsos commercio lætificante eosdem gavisuros, quod nemo dixerit. Neque huc pertinere videtur abolitio cognitionis specularis *1. Cor. XIII. 10. seq.* quæ in modo est, non in objectis. Reliqua pacis & modestiæ studio dimittimus.

§. 10.

Apparet insuper 7. ex præsente statu & forma hujus controversiæ exegeticæ, apud R.Catholicos quoque interpretes modernos non ingratam esse expositionem κτισεως apud Apostolum de gentilibus, cujus rei specimen vel nuper dedit JOH. HARDUINUS, Jesuita, in suo in *N. T. Commentario.* Paraphrasis *v. 19. seqq. c. VIII.* ad *Rom.* apud ipsum hæc est: „*v. 19.* Nam quæ expectans est Creatura, h. e. gens quælibet, quæ Deum timet, manifestationem & gloriam filiorum Dei expectat. *v. 20.* Rebus enim tractandis & agitandis, quæ sunt per se plenæ inanitatis, omnis gens etiam, quæ Deum timet, subjecta est in hac vita, non volens: sed tamen patienter fert propter eum, qui subjecit eam in spe futuræ libertatis & gloriæ. *v. 21.* In spe, inquam, quia etiam ipsa gens quælibet, quæ Deum timet, liberabitur ab hac servitute vitæ corruptibilis, assereturque in libertatem, quæ comes est gloriæ filiorum Dei propriæ. *v. 22.* Scimus enim, quod omnis gens, quæ Deum timet, ingemiscit, & veluti parturit omni ævo, uti etiamnum isto, cupiens liberari ab hac vita mortali, & esse cum Deo. *v. 23.* Non solum autem illa, cui vel nondum omnino, vel non sufficienter promulgatum est Christi Evangelium, & Deum tamen timet, sed etiam nos ipsi intra nos gemimus adoptionem, paratam his, qui filii Dei sunt, patienter expectantes, h. e. redemtionem seu glorificationem corporis nostri. „ ac deinceps in *Notis* ad *v. 19.* hæc habet: „ Expectatio creaturæ est creatura expectans, quemadmodum *c. XI. 7.* electio dicitur consecuta justitiam h. e. electa creatura, electa gens. Creatura autem h. l. est gens quælibet, quæ Deum timet, & expectat a Deo remunerationem *Hebr. XI. 6.* Erant autem præter Judæos etiam inter gentiles, qui crederent & sperarent in Deum. *Act. X. 34. seq.* Creatura igitur expectans vel est Judaica, vel gentilis:

lis: ex utraque autem illa
creatura appellantur a *Paul*
lam utramque, veterem cu
cere *Apostolus* videtur illud
Si conjungamus cum HARD
demus una cum aliis *Comme*
sententiæ. Post relatas eni
tatione nostra actum est) sub
cation est la meilleure, &
mentatur: *S. Paul continue*
avec empressement, & espere
ment de sa condition: elles se f
ché de l'homme les a reduites,
des enfans de Dieu. Ce n'est
vent reellement jouir de la beat
nez. Mais elles y auront part
elles entreront dans un etat pur
ou elles etoient auparavant: ell
aux vicissitudes, comme elles
que l'homme pecheur faisoit de
vant contre l'intention du crea
ment. literal T. IIX. p. 99. 100.
num momenta pro sua hypo
muni, occurrunt, unde ut
lis, quæ jam in *præcedd. §§.* e
quoque hæc varietas cogita
sterum. Nihil ergo superest
tas, ut in mille aliis hujus c
necessaria hic colligere, ut pa
vexatissimæ sub examen voca
peregrina & aliena a scop
sorias sine

Tantum p

  

em illa gente vocati Christiani in Christo nova
: a *Paulo* 2. *Cor. V.* 17. & *Gal. VI.* 15. creaturam il-
erem cum nova, conjungit. Vanitati] Respi-
ur illud *Davidis* dictum *Ps. XXXIIX.* (39) 7. *seqq.*,,
n HARDUINO CALMETUM, illum contra deprehen-
s *Commentatoribus* suæ partis assentiri communi
latas enim ceteras (de quibus hucusque in *Disser-*
est) subjungit hanc επικριτιν : La premiere expli-
ure, & la plus suivie. Ad v. 21. autem sic com-
continue dans sa prosopopœe : Les creatures attendent
& esperent avec confiance de voir un heureux change-
elles se flattent de sortir de cette captivité, ou le pé-
redu-tes, & d'entrer un jour dans la liberte de la gloire
Ce n'est pas a dire, que les creatures inanimées doi-
de la beatitude, ni participer a la gloire des Predesti-
uront part a un certain sens, lorsqu' a la fin des siecles
un etat pur, incorruptible, & plus parfait, que celui,
avant : elles ne seront plus sujettes aux alterations &
nme elles l'etoient sous le regne du peché, ni a l'abus,
faisoit de leur beauté, & de leur bonté, en s' en ser-
on du createur, & pour offenser sa clemence. Com-
p. 99. 100. Neque apud HARDUINUM nova ratio-
sua hypothesi, neque apud CALMETUM pro com-
unde utraque, ut opinor, stat & cadit cum il-
edd. §§. ex aliorum mente attulimus. Regnabit
as cogitationum de hoc textu Apostolico in po-
o superest, quam ut cuilibet sua relinquatur liber-
s hujus ordinis. Nobis interim visum est maxime
ere, ut pateat, quid porro in Examine quæstionis
men vocari mereatur? & quantum intersit, ne
na a scopo principali propter hypotheses acces-
rias sine necessitate misceantur.

tum pro instituti ratione.